

**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibitent Benè Vivendi  
Et Benè Moriendi**

**Balde, Hendrik**

**Ipris, 1689**

48. Cap. Discendum est benè mori, quia non nisi semel morimur.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](#)

non doctrinā , sed virtute acquiritur ,  
parūm , aut nihil omnīnō solliciti . Provisione  
perversā , inquit S. Eucherius , Impen-  
dunt brevi tempori curam maximam , &  
maximo tempori curam brevem .

Noë centum & viginti annorum ope-  
ram in arcæ fabrica collocavit , ut mor-  
tem temporalem evaderet : tibi tantum  
vitæ nequaquam superest ; post tres an-  
nos , dies , horas forsang eris exanimum  
cadaver ; & tantillum temporis christianæ  
vitæ ad virtutis fastigium educendæ im-  
pendere detrectabis , ut æternam mortem  
effugias ?

Enim verò demens es , si longævitæ  
spe te ipsum lactes & seducas ; si ex hoc  
momento ad bonam beatimque op-  
tendam mortem te non sedulio compares .

## CAPUT XLVIII.

*Discendum est bene mori , quia non nisi  
semel morimur .*

**S**i juveni puellæ , quæ fistulam æneam  
nunquam vidit , diceretur : exploden-  
dum tibi est in hunc scopum : si tetige-  
ris illam , Reginæ nomine ac dignitate  
donaberis ; sin aberire te contigerit , in  
ignem

ignem viva coniijcieris. Conceduntur tibi  
hebdomadæ quatuor, ut explodendi at  
te in regiè perdiscas; quod si tum aben-  
tis, non erit iterando locus.

Si hoc inquam ei diceretur: an no-  
diligentissime omnem conatum adhibe-  
ret, ut illius artis peritiam assequeretur.

De te ( ô homo ) sententia lata est:  
Scopus æternitatis tibi perendus est, mi-  
grandum è vita. Statutum est hominibus  
semel mori,

Mors finis est temporis, atque æterni-  
tatis felicis vel infelicis exordium. Si  
benè moriaris, æternis poteris in celo  
gaudijs; sin male, pœnis apud inferos  
cruciaberis nunquam terminandis; quippe  
non nisi semel mori licet, nihilque hic  
iterandum relinquitur.

Nec erit quod in temporis angustiis  
tuam artis benè moriendi imperitiam,  
tanquam in causam, refundas: jam enim  
viginti, triginta, quadraginta numero  
ætatis annos.

Si omne illud tempus infructuosè con-  
sumperis, hebdomadas quatuor, ut ex-  
plodendi in scopum æternitatis, atque  
benè beatèque moriendi arte erudiaris  
tibi nequaquam ausim polliceri: na-  
proximâ fortè hebdomadâ, die craf-  
tina

horâ in sequente cogêris subire mortem  
à qua felix tua vel infelix pender æter-  
nitas.

Itaque hoc præsenti momento, quod  
solum in potestate tuâ est, omnibus cum  
animi tum corporis viribus eniti debes,  
ut rectè explodere in æternitatis scopum,  
atque ut bene beataque mori perdiscas.

Dum tempus habemus, operemur bonum,  
inquit S. Paulus Apostolus.

## CAPUT XLIX.

Semper paratos nos esse oportet ad bene  
moriendum.

**M**ors minimè mala est, sed nos  
illam, perdite vivendo, malam  
reddimus.

Mortem non magis, quam nos ipsos  
timere debemus; hæc enim iniquitatibus  
nostris deterior esse non valet.

Deus in singula momenta paratos nos  
esse vult ad moriendum; boni itaque  
singulis momentis simus necesse est, ne  
mala unquam mors derepentè nos obruat.

Deus tanquam fur, improviso horâ,  
de nocte venturus est. Maxima pars mor-  
tuorum testari potest; tum è vitâ se esse  
sublatos